

bem statim ingressus, Hispanorum praesidio imposito, Caesareæ ditionis effecerat. Neque eo contentus, oppidis multis, atque arcibus occupatis, se ad Parmam obsidendam comparabat, ab oppidanisque, ut se dederent, petierat, nequicquam Octavio, Caroli genero, de acerbissima sibi illata injuria conquerente. Hoc Gonzagæ facto cuncti Italiae Principes, ac populi adeo exarsere, ut non tantum ille undique probris, ac maledictis proscinderetur; verum jam erumpere recondita Caesaris intimis sensibus consilia palam dicerentur; nihil sanctum, nihil ab imperii cupiditate intactum; quæ vi difficile assequi foret, ea per dolos, atque insidias tentari, & obtineri. His undique crebrescentibus vocibus adductus Gonzaga, ut, quæ gesta erant apud Venetos, qui eam rem moleste tulerant, purgaret, Joannem Baptistam Schizzium, e Mediolanensi Senatu, Venetias proficisci jubet, qui a se omnem confecti criminis maculam de- tergeret, atque a noxa immunem testaretur. Se a Farnesii interfectores vocatum, quin Placentiam Caesaris nomine reciperet, efficere non potuisse, ut interea de illius mente, quam rectam, atque in commune bonum maxime proclivem sciret, doceretur. Senatus filii casum per literas, perque Joannem Antonium Venerium oratorem cum Pontifice conqueritur; qui, ut erat magno animo, ingentem fortunæ ictum fortiter tulit, atque a privato luctu ad domesticas clades reparandas se convertit.

Inde cum tota Cisalpina Gallia fluctuaret, arma, ac milites a Caesareanis, & ab iis, qui Farnesiorum partes sequebantur, compararentur; quo rebus suis prospiceret, legatum in continentem mittere Senatus decrevit, ut Reipublicæ copias lustraret; oppida, atque arces inviseret, imperioque tuendo in primis studeret. Stephanus Theupolus legatus creatus est. Metaurensum Dux, copiarum Reipublicæ summus praefectus, Roma, ubi, Senatu permittente, ad concelebrandas cum Victoria, Petri Aloysii Farnesii filia, Pontificis nepte, nuptias profectus fuerat, revocatur. Antonius Tifernas, tormentorum praefectus, Brixiam ingredi jubetur. Theupolus legatus Veronam contendit; militum praesidia iis in urbibus augentur; ordinum copiae inducuntur. Inter has vel belli, vel insidiarum suspensiones Pontifex tantarum rerum indignitate commotus, ira

Joannes
Baptista
Schizzius a
Gonzaga
Venetias
mittitur.

Stephanus
Theupolus
legatus in
Continenti
eligitur.
Guido U-
baldis Ur-
binas Vene-
tias advo-
catur.